

385

383

389

379

394

374

434

334

484

284

Ende

Anfang

374

ergo velo ventis sulcantes mare fortiter praecedentes galeas secuti sumus. Cum ergo hora prandii adesset, sedi mecum cogitans, quid ego facturus essem, et dum sic sederem, vidi unum militem peregrinum de secunda societate, dominum Caspar de Bulach, ascendere de cellula prorae, ut cibos de coquina portaret. Hoc videns plurimum laetificatus fui et post eum clamavi teutonicis verbis vocans eum nomine suo, qui me respiciens obstupuit prae ammiratione et descendit ad cumbas dominorum militum et baronum, Ferdinandi de Werna et domini Maximiliani de Rappenstein, dicens eis meam praesentiam in navi; statim autem audientes ascenderunt et audita causa mea introduxerunt in stantiam suam et cumbam pro dormitione assignarunt, et ita colloquebamur illo die de multis, quia valde conversativi et honestae conversationis erant barones et milites secundae societatis, et dicebant mihi, quod dudum optaverunt, ut per aliquos dies cum eis manere possem in navi. Dum autem sol occidentem peteret, irruit tempestuosus ventus, et multas anxietates nos (nobis) illa nocte tulit, ut patebit.

Sexto die, qui est Epiphaniae Domini, per noctem praecedentem tempestuosum habuimus ventum, prosperum tamen, quia ducebamus intento itinere. Circa medium autem noctis incidimus in angustias Corneri; est enim civitas quaedam in littore sita, Corinium dicta, a qua mare Cornerum dicitur, vel a sua saevitia, quia saevissimum ibi est, et periculosissima navigatio, ibi enim mare velocissimo cursu contra Anchonam et portum S. Petri tendit, et si quando gubernatores non sunt circumspecti, navis rapitur et cum maximo periculo extra sinum in aliam partem contra Romanum projicitur, sicut saepe factum esse ante nos et post nos audivi. Verum jam singulariter cavebant nautae, quod naves non tollerentur in oppositum littus, quia absque hoc, quod in periculo fuissemus maris, hostium in manus devenissemus: fere enim tota quasi Italia contra Venetos tunc erat commota et ad debellandum parata. Interea ventus invaluit et mare fremuit in tantum, quod vela tempestatum grandium apponere coacti (I) fuerunt; commune enim velum dilacerassent venti, aquae autem navem continue operiebant et ad nos incidebant, vela etiam deposita et funes in cellulam nostram trajiciebant, quae tamen strictissima erat, et compressi sedimus per totam noctem in angustiis, et quamvis bene

